ta: in Libro verò Chriſtianæ FORMULAE CONCORDIAE, adverſus tùm Calviniſtarum, tùm quorumvis aliorum ſophiſticationes, & uberiùs repetita: & ſolidius confirmata: Quo ſanè pacto Tua celſitudo præclariſsimè teſtata eſt, ſibi nihil magis curæ cordiq́; eſſe, quàm ut purior Doctrina ſarta tecta aſſeratur: & purgata à ſordibus Pontificijs & Calviniſticis, ad ſeram uſque poſteritatem, (ſi qua futura eſt) propagetur. Pro quâ verè paterna curâ, Orthodoxa Chriſti Eccleſia, Tuæ Celſitudini indefeſſas ſuas ad præpotentem DEUM preces atque vota, & gratitudinem nunquàm intermorituram ſeſe debere, ultrò fatebitur.

Mihi profectò Zelus iſte, Princìpe & re & nomine CHRISTIANO longè digniſsimus, animum addidit, imò tergiverſantem quaſi impulit, ut Illuſtriſsimæ tuæ Celſitudini tantò audacius libellum iſtum humilimè dicarem & inſcriberem. Continet enim ille nullam doctrinam aliam, quàm